



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani E Societate Iesv Medicvs Religiosvs De Animorvm Morbis Et Cvrationibvs

Scribanius, Carolus

Antverpiæ, 1618

Admodvm Reverendo Domino Ac Patri Antonio De Winghe Abbati Lætiensi
Ordinis S. Benedicti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46194)

ADMODVM REVERENDO

DOMINO

AC PATRI

ANTONIO DE WINGHE

ABBATI LÆTIENSI

ORDINIS S. BENEDICTI.

S Popondi. non fallo fi-
dem. & non Christianum
tantum, sed & Religiosum
Medicum mitto, animorum mor-
bos, damna, remedia narrantem.
Ridebit aliquis ab hesterna schola,
nupera arteria Medicum tironē. at
mihi satis est, votis Tuis Tuorumq;
respōdisse. Et nescio, an non maior,
promptę parentiæ, quàm prudentis
imperij laus sit. etiam inscitiam
ostentasse decus, si imperaueris. &
nō clarior gloria, infantiam quàm
eloquentiam prodidisse ad impe-
ria?

† 2

ria?

ria? in illa, è solo obsequendi studio, sperari laus potest, contemptus ab infantia: in hac facilis obedientia est, quæ laudem imperat. nec magnum est, in amico imperio ceruices submisisse gloriæ, magnum est contemptui submisisse. hoc volui, illud non potui. laudem an merear, iudicij erit tui. Hoc dicā: parui, & imprudentiam prodidi. De morbis scripsi, non inexpertus morborum, remediorum ignarus. addidi tamen remedia: non quæ ægros alienos animos expleant, aut medeantur malis; sed quæ ægræ scriptoris huius menti commoda arbitrabar. Et sanè in morborum varia implicatione aliquid mihi largiendum, cùm morborum genus omne pectore hoc circumferam. densius his obsessus, quàm audax de genu pugnātis Magni Macedonis,
in

in Sudracarū oppido, clypeus, totam hostilium telorum siluam circūferens. vt non iniuriā fides haberi possit morborū experientissimo, & ex se magistro. remedia ab alijs, ac magno in primis Claudio Aquaiua veriūs quàm à me didici: vt cui crudi adhuc stent morbi. certiora à Tua Tuorumq; manu expectabo, è Blosianis, nō Galeni aphorismis. quod si feceris, & margines libelli huius, expertissima manu tua medicamentis oppleueris; næ ego fortunatus, qui pellendis his animæ meæ morbis, testata medicabula repererim, certam valetudinē promittentia. Bea me hoc munere, & in omnem posteritatem habebis Tuū, nouo hoc Tibi munere æternū pigneratum. Vno hoc volumine tres libros clausi. primus Superiorum morbos, secundus inferiorum

riorum, tertius vtrique communes
amplectitur. Nemo indignetur.
meos nō alienos enarraui morbos.
famæ huius dominus, famam pro-
degi. & quis vetet morbos suos om-
nium in circo oculis spectandos,
emendandos, præbere? nō erubesco
ad aliorum aures, qui nō erubui ad
oculos magni Dei. nec pudet aperi-
re, quod nō puduit perpetrare. no-
xia enim verecundia est, quæ malū
in interitum celat. felix confessio
quæ in medelam mala prodit. hoc
feci. & toto hoc volumine mētem
legendam tradidi. nihil excuso. nec
si velim, possem. habeo nimis ocu-
latum testem & iudicem pectoris
huius, morborū, vulnerum. quibus
faucia mens hæc Samaritanum ex-
spectat, vinumque & oleū, è paterna
manu, matris vberibus; vt & vini
acrimonia faniem tergat, & oleum
fun-

fundētia vbera demulceant. vt no-
uushomo, post vulnera, morbos,
mortem rediuiuus; valentia mem-
bra, sanguinis, coloris, & succi boni
plena, diuinæ glorię, proximorum-
que saluti sacrē. precibus hoc Tuis
Tuorumq; spero. nec difficile erit,
è diuite Blossiana nube, in emarci-
dos hos animæ meæ campos fœ-
cundum imbrem depluere, & è lo-
cuplete illius apotheca nobilissima
medicamenta, valetudini in inte-
grum restituendæ depromere. Ita
facite magni Patris magna sobo-
les, dignissimi omnes tanti Paren-
tis educatione; & calidis vestris ad
Deum orationibus animæ huius
morbos pellite, valetudinē reddite.
ita æternūm vos tueatur magnus
Deus: spiritumque noui Eliæ vestri
Blossij, in nouos vos Elisæos, dupla
felici fœneratione diffundat.